QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS TERTIA MENSIS APRILIS.

M. Petro de Beaurains, Doctore Medico, Moderatore. 763

An Sequana Sanus?

PLAGAM, Clima, Regioné, ac Vrbem, summè beant: non æstus exurens, non suffocans squallor, non penuria aquarum, sed innocuum cœlũ, sed æquilibriũ, moderataque primigeniarum qualitatũ horarumque anni & terræ mixtura, ad fertilitatem omnimodum aptissima: & temperatum Hyemalium & Æstiuorum ventorum libramentum, ad Orientem aliquem frons directa, & amicorum hospita ventorum, habitantium bene habitus corpuscula, color floridus, firma capitis sinceritas, inoffensum oculorum lumen, limpidus auditus: Aquarum salubritas, non noscenda pondere, mollitie, coctione, sed ex faucibus bibentium puris, nullaque aut rara pulmonum causatione, rariore viscerum dolore, obstructione, & prędicanda si coquendis leguminibus, panibus nata, hypochondria permeat, saporisque expers, æque frigoris calorisque prompta susceptrix.

ORBIS compendium Gallia, in qua Lutetia præstantissimorum ferax ingeniorum, triplicem spectat solis exortũ: licet densissima ædibus, ventis tamen ab ortu & Septentrione omniũ saluberrimè spirantibus peruia est, nec montibus intercepta, ab Austro fermè & Occidente ventis auersa: Vnde in tantis luti fœculenti sordibus & halitibus, in tanta hominum vndiqueconfluentium frequentia, minime contumax pestis? Vnde tanta in tanto otio diuersissimorum eduliorum ingluuies? Vnde bellicosis Romanis animus superior in incolis non φιλοπόνοις, nec φιλογυμνάστοις, & sola Scytharum more vectione exercitatis, nisi à cœlo inter polum & circulum æquinoctialem ferme medio, nisi à solo vbere, nisi à fontium, pluuiarum, fluminumque beatissima irrigatione. Sanitatis minimo dispendio aer, magno aqua mutatur, quod ille vnus, hæc varia, quod illius minus, huius plus in potu, obsonijs & panibus insalubriter insulsis, adeoque ponderosioribus haurimus.

SEQVANA nec alto nec depresso ad Orientem Hybernum natus loco, recipit Iunnam cancrorum male ad analepsim destinatorum parentem, Matronam ab ortu Æstiuo defluentem, tandem Bibaram aptum lixandæ cereuisiæ & temperandæ: Hęc licet stranguriam fugacem generet, nec vnquam tabacum vires ingenij corporisque deterentem, humorumque excitatorem potius quam dissipatorem admittat. Rex ille fluuiorum iucundissimus aspectu, & potui probatissimus Sequana maximè insolatus, nunquam otiosus suo cursu & percursu exercitatur, triplicem Parisiorum vrbem ad triplicé solis exortũ sitam liberrime illapsus facit fœcundo potu & pinguedine populosissimam, moribus candidam, spiritu turgens aereo ingentia fert onera, puteisque amplam ideoque salubrem materiam subministrat: Non fontes Isiaci, non Bellauilęi, non Regniacenses, cæterique aquæ ductus Australes, Heû male plumbeis in vniuersam vrbem deriuati tubis dysentericis bonitate quæ cum Sequana certare ausint.

PARISINÆ plenæ licet sint succi, flos licet & ocellus reliquarum mulierum, quod tamen gibberæ pleramque partem protuberent, quod tumidis non paucæ sint grauidæ aluis, quod diarrhæas habeât hospites, quod calculis sint prægnantes viri, quod herniosi pueri, & quod rheumatismi (καυσώδεις γὰρ τῶν φλεβῶν) insolentes, frustra eris si Sequanæ ascripseris: nunquã is Nili instar crocodilos tritonasque alit, nunquam pręter solitum Tiberis instar deijcit templa & ædes, non vt Garumna stagnat, non Rhodani modo præcipitat aquas, non Araris instar torpet, raro tumet & detumet, qualis Æstate talis Hyeme, natiuo defluit amne. Quis varos valgosque Ægyptiorum pedes, quis simitatem, quis labra prostantia, crispitudinem capillorum Nilo adscripserit? Edacitati diarrhoeas, hernias, rheumatismos sola phlebotomia, non purgatione curandos; concluso ædium aeri & veneri Arthritides (topicis non abigendas) sedentariæ vitæ criminandæ non innocentissimo Sequanæ in acceptis referas.

SVBTERRANEA, lacustris, lutosa, paludosa, stagnans longum vale aqua, quæ venenato potu homines enecas; vos fontanæ, puteales, pluuiales omnes raucosissimæ: vos cisternis collectæ insectorum & putredinis parentes, cæteræque aquæ Æstate calidæ, Hyeme frigidæ: Glaciales & niuales strumarum authores, & in longam diem morbos inseminantes procul abeste. Sequana licet non ad ortum fluat, suis tamen sinuosis flexibus serpentis in morem, soli se tractabilem, exhibet, non auersus à sole, non montibus interclusus, nec syluis tenebricosis vmbrosus non luto sordidus, sed sabulo lapillisq; strato alueo depuratior limum si quem contrahit, vel in medio aluei vel fictilibus depositurus non asseruandus æneis ligneis-ue vasculis magno Parisinorum detrimento. Sed quid deductis aliunde aquis vtimur? certas amittimus dum incertas quærimus. Vnde vnde veneris Sequana celebretur in omne volubilis æuum.

Ergo Sequana Sanus. 212

Proponebat Lutetiæ PETRVS LE CONTE Bajocensis. A. R. S. H. M. DC. XXXI.